547

14447

PANEGYRICVS
DICTVS LVDOVICO XIII. REGI FRANCORVM clementiſſimo victori.

Ob ſeruatos ciues datámque pacem.

A IOANNE GRANGIERIO
Regio Profeſſore eloquentiæ.

IN AVLA CAMERACENSI REGIA
XVI. *Kal. Decembr. An.* M. DCXXII.

Ex Libris Seminarii Congregat missionis



PARISIIS,
Apud Ioannem Libert, via D. Ioan. Later.
è regione Auditorij Regij.

M. DC. XXII.

Case
F
39
.326
1622gra

THE NEWBERRY
LIBRARY

53-657

REVERENDO PATRI COSMO CLAVSSÆ EPISCOPO ET COMITI Catalaunenſi, Patricio Franciæ

Jo. GRANGIERIVS S.P.D.

IAm te pridem aliquo fœtu ingenij, Auguſte Præſul, muneratum oportuit abs eo, quem puerum tua benignitate fouiſti, adoleſcentulum ad bonas artes excitaſti, adſcriptum in viros perpetua beneuolentia cohoneſtaſti. Sed, mihi crede, ſubueritus ſum hactenus grauitatem iudicij tui,

quod aurificis, vt aiunt, ſtatera, non populari trutina dicta ſcriptáque aliorum ſolet expendere. Tu enim pater elegantiarum, et cùm Græcè Latinéque doctiſsimus, tum noſtra linqua ille eloquens, quem nunquam vidit Antonius, non facilè perfers ineptias ſermonis: nec, ſi quid incoctum fuerit & malè conditum, id ſatis ad ſtomachum tuum facit. Ac ne nunc quidem mihi videor erudito palato dignum ferculum apponere: ſed cùm & literis quæ abs te mihi pleniſsimæ amoris redditæ ſunt, & iucundiſsimo prouocatus munuſculo fuerim: non potui diutiùs ſenſum animi premere, præſertim abs aureæ pacis quam ſemper

vnicè dilexiſti; & ab optimi Regis, cuius tu laudibus impẽſiſſimè faues, geminâ commendatione noſtra ſibi blandiente opella. Quod ſi pro tua humanitate hanc oratiunculam in illam tuam bibliothecam, quæ non magis referta eſt omni ſupellectile melioris literaturæ, quam tuæ aſſiduitatis Genio ſpirat odores vtriuſq; ſapientiæ, non grauatè admiſeris: dabo operam, vt quà Latini ſermonis vſus diffunditur, te vigilantiſſimum antiſtitem, diſertiſſimum oratorem, feliciſſimum propagatorem pietatis, munificentiſſimum patronum honeſtarum artium, & ſenem immortalitate digniſſimum vera fama loquatur. Vale.

PANEGYRICVS DICTVS LVDOVICO XIII. REGI FRANCORVM clementiſſimo victori.

Ob ſeruatos ciues datámque pacem.

COgitanti mihi, Auditores, de tot coronis, quas ex omni genere laudis & gloriæ Rex Ludouicus admirabili felicitate decerpſit, quã ex hoc ſuggeſtu pro ratione muneris & in publica gratulatione bonorũ vobis proponerem: ea longè florẽtiſſima viſa eſt, arriſitq; potiſſimum, quę ſcelere domito, victa perfidia, diffidente ſibi audacia, importunitate catenata, & vincto furore ſeruatorum ciuium, datæque Pacis

titulum præfert. Nam licet altiùs, vt pleriſque videtur, ſeſe efferant quæ partas terra maríque victorias, quæ expugnationes vrbium, quę direptiones caſtrorum, quæ ſtrages rebellium demonſtrant: ego nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, pulchriuſque ſemper exiſtimaui, quàm eius pacis, cuius dexteræ Mars victor oliuam inſeruit; quum ſit modeſtia poſt victoriam ipſa victoria laudabilior. Ac ſi alia mihi ſententia fuiſſet (quanquam homini ſtudioſo pacis & otij eſſe alia non potuit) illam tamen libenter tum depoſuiſſem, cùm perfunctam remp. miſero fatalíque bello certus à Rege nuncius confirmauit: cùm ad Diuæ virginis auguſtum puluinar Patres iêre, vt agendis immortali Deo gratib⁹ & gratiis multitudini præirent; cum è ſacris turribus ingens boatus pulſati æris lætitiæ ſignum dedit, vt non ſolum ciues, ſed etiā tecta popu-

populoſæ vrbis gaudere viderentur. Ita enim pulcher ille dies apparuit, vt ſpeciem aliquam referret eius tranquillitatis, quam Magnus Henricus olim fecerat: quæ vtinam nunquam ſollicitata fuiſſet ab iis, qui opportunam iniuriæ Regis adoleſcentiã falsò credidére. Nunc igitur poſtquam dubiæ tempeſtati certa ſerenitas ſucceſſit, & depulſa eſt infamia miſerrimorum temporũ, atq; præter ingenium lymphatæ mentes redierunt in naturam, quam viſa fuerat excuſſiſſe defectio: ſinite me, Auditores, exultare apud vos optimo publico, & prædicare beneficium ac virtutes mei Regis, cuius in laudibus quicquid ſpiritus & vocis habeo, non occupare ſolùm debeo, ſed etiã, ſi res poſcat, abſumere. Nam illud beneficium, etſi per ſe eſt clariſſimum, tamen orationis luce videbitur quodammodò illuſtrius: & ex verâ laudatione inuicti Principis ad

fratrẽ egregiæ indolis aliquid fortaſſe perueniet, vnde puerilẽ animum ſpes bona & blanda gaudia titillent: cúmq; mirabitur fratrem, etiam ſibi fauebit, quòd ex annis eius quàm proximus ſit tantæ gloriæ, ingenio æmulationis agnoſcet. Ac ne immenſum fore curriculum exiſtimetis eius orationis, quę ſi implere velit ſpatia longè latéq; patentis campi, nunquam peruentura ſit ad metas; faciam cõpendio quidẽ ſermonis, ſed damno voluntatis meæ, quod huic tẽpori, veſtræq; audientiæ maximè congruit. Nam primùm in neceſſariæ pacis commendatione verſabor: deinde nonnullorum qui victoriam ſine exceptione ſplendidam potiùs quàm ſalutarem maluiſſent, ſermonibus occurram: poſtremò illos, qui Regis miſericordia viuunt, ad pacem ex animo colendam; atque vt edictis regiis, quàm mœnibus, & legibus quàm armis tutiores eſſe velint,

cohortabor. Fauete, Auditores humaniſſimi, & quod facitis, Regij Profeſſoris ſtudium in Principem, & caritatem in patriam æquis animis atque auribus adiuuate. Quæ ciuilis motus cauſſæ fuerint, nihil opus eſt commemorare: ne iſta commemoratio ſit tanquam vnguis in eo vlcere, quod nunc primum coire incipit: hoc verè poſſum dicere, ne verbo quidem violatos arma cepiſſe, quibus nihil minus expediret, quàm bellum: ea verò ſecuta incommoda fuiſſe, quæ ne hoſtes quidem imprecati noſtræ genti fuiſſent. Namque ita affectæ ſunt nonnullæ regiones Franciæ, vt eæ ſolent eſſe terræ, in quibus diuturnũ & acerbum verſatum eſt bellum: ſic deformis regnorum olim ocellus Francia, vt in eius cultiſſima ac vberrima parte Franciam quæramus. Cum enim omnia repagula iuris & officij licentia militaris ita perfregiſſet, vt omnium

bona prædam ſuam duceret, nullius in agris res tuta, nullius domus clauſa, nullius arca munita contra auaritiam & rapinas fuit: quacunque illa tempeſtas peruaſit. quacunque ruit, expilati agricolæ, vexati, ſpoliati, cruciati fœdum in modum fuêre, vt cùm reliqui nihil eſſet quod amitterẽt, tamen tormentorum metu cogerentur profugere. O miſeram conditionem eorum, quorum opera atque labore vita noſtra ſuſtentatur! Cum fructus diripiebantur, atque omni lacerabantur iniuria, videbantur id perdere quod ipſi ſuis manibus quæſiſſent, in quo elaboraſſent, quod agri ſegeteſque extuliſſent: in quibus grauiſſimis iniuriis tamen illud erat miſerum ſolatium quod ea perdebant, quæ ex iiſdem agris reparari poſſent: nummos verò vt darent agricolæ, quos non exarant; equos, boues, aratrum ipſum & omnia inſtrumenta vendere fuit neceſſe.

Quæ poſtquam diſtracta ſunt, nudis veſtimenta, quod dicitur, vt detraherent & aquam è pumice exprimerent diurni graſſatores in libera corpora ſæuierunt, iis in pagis atque villis præſertim, quę ſacri patrimonij ſunt, ne quis dubitaret (quod impuro ore iactabant) pro aris & religionibus illos arma gerere. Neque diſputo in præſentia defraudatíne ſtipendiis fuerint à depeculatoribus ærarij, prædonibus pecuniæ publicæ, hirudinibus noſtri ſanguinis, qui nouo & ſingulari latrocinio graſſantes ſimul atque bellum ſuſceptum eſt, regnum iam ipſum ſpe & opinione deuorant, & optatiſſimum ſibi negocium in ſinum delatum putant: verùm illud affirmo, nullum tum fuiſſe tam ferreum quem tot miſeriis exagitati de vitæ ſuæ ſtatu dolore ac lachrymis infelices coloni non deducerent. Quid de oppidanis & vrbanis loquar? exhauſti & exinaniti quoque,

ſed per ambitionem & ſpem cõpendij nondum tamen lugebant, quia nondum ſentiebant ruinas fortunarum ſuarum, niſi qui fructus non percipiebant ex agris, & vri ſuas meſſes, ſua vineta cædi proſpiciebant è muris. Nobilitatis quoq; partem noſtris periiſſe furoribus dicerem, niſi ſua morte felices eſſent, qui inter ipſam virtutem defuncti ſunt: certè tot nobilium morte victoriam emptam Rex ipſe defleuit, quot in iuſta acie dimicantium ſtupendæ virtuti nulla vis legitimi hoſtis reſtitiſſet. Quid Regem memoro? miſerum me, vt ſæpius in anima fortiſſimi principis ſumma Franciæ periclitata eſt, quam vellem! dum nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum, nulla tempeſtatis aſperitas, nulla crebritas funerũ retinere aut morari illum poteſt, quò minus illuc peruolaret, quò belli expediendi ratio vocabat: dum ſui oblitus

ac ſuorum, in diſcrimina præliorum ruit auidus, ſitiénſque gloriæ: dum vtrinque cadentibus ſubditis, tam ex rebellium interitu, quam ex fidorum ciuium obitu haurit acerbiſſimum dolorẽ. Quid igitur tot malis remedij, & aduerſus alia imminentia præſidij fuit, niſi vt qui initia belli ciuilis inuitus ſuſceperat, extrema non libenter perſequeretur? & qui circũſpiciens omnia membra reip. nullum non fractum ac debilitatum reperiebat, ex magna iactatione ſuam Franciam proueheret in portum ſalutis & otij; vt ſolutus belli curis ea paret, meditetur, cogitet, quæ regnum afflictum & oppreſſum miſeris temporibus ac perditis moribus poſſint in veterem dignitatem vindicare? Id verò ſapientiſſime Rex feciſti, quum optatæ pacis beneficium tuis ciuibus indulſiſti, quod memoria noſtra ſemper aletur, & exquiſitis ſermonibus

creſcet. Qui cùm videres non eſſe eam medicinam quę ægros interficit: & ad tot vulnera, quibus perfoſſum iam erat corpus Franciæ, mortiferam poſſe plagam infligi: nec ſuſtineres amplius vrbium ruinas, vaſtitates regionum, regni maculas intueri; chirurgiæ pertæſus curari diæta remp. maluiſti, & expertus es remedia molliora, vt quod leniri quàm reſecari mallet, mitior medicina ſanaret. Vide, Rex, quid hac victoria conſecutus ſis: feciſti, vt nemo ſibi victus te victore videatur: &, cum per domitas prouincias victricia arma circunferas, beneficum & ſalutare ſidus illis, qui nuper ad nomen tuum toto corpore perhorreſcebant, commodùm exoriare. Ita eſt profectò, Auditores, qui ex numero ciuium dementia aliqua deprauati hoſtes Regis ſimul & patriæ facti fuerant: ac peruicaci furore in eos ſe laqueos induerant, quorum è nullo ſe expediiſſent,

ſi nacti

ſi nacti regem iræ memoris fuiſſent, poſtquam abs Ludouici clementia pœnitentiæ ſuæ veniam impetrarunt, & nullius ſanguine recōciliatio gratiæ ſancita eſt: ita cùm admiratione Regiæ virtutis, tum inſperatæ ſuæ felicitatis ſenſu perculſi ſunt, vt ſibi de ſalute conſtituta vix credentes, authorē datorémq; tanti beneficij, cuius auſpiciis alterius vitæ initium ordiūtur, è cœlo delapſum putent. O pulcherrimum triumphū virtutis & clementiæ, qualē haud ſcio an ſuperior vlla ætas viderit, an conſequens vlla viſura ſit. In rebus celebratiſſimis omnium ſermone verſabor: vt omnes intelligant, quantum interuallum interiectum ſit inter geminam lauream quam ex diſpari laude Rex fortiſſimus idemque mitiſſimus quæſiuit, & adoreas illorū Principum, quorum ad nos ex coniunctione magnarum virtutum hactenus fama peruenit. Suſcepta erat dimicatio capitis

cum ea factione quæ regnantibus ſemper grauis, cùm vel perfidiæ vel errori nomen religionis obtenderet, tum grauior magiſq; Regi adoleſcẽti metuẽda videbatur, quòd editis quoq; vel famoſis vel furioſis libellis formã ſollicitaret Reipublicæ: ad ſublata vexilla in Regem ex perditis atque ex omni nõ modò fortuna, verumetiam ſpe deſtitutis conflata improborum ea manus conuenerat, vt non iam defectionem ſuam tenebrarum ac parietum cuſtodiis tegeret, ſed erumpens è ſuis latebris atque tectis, & terreſtribus copiis immineret propinquis regionibus, & non contemnenda claſſe Oceanum latrociniis infeſtũ haberet; cum intereà illius factionis, ſuperbiã, cæcam ignorationem ſui, grauem & intolerabilem arrogantiã mirarentur illi quibus comperta maximi Regis potentia atque virtus certam nec ita difficilem victoriam ſponderet, præ-

ſertim abs illa parte ſtantib⁹ diuis, quæ pro iuſtitia propugnaret aduerſus audaciam atque ſcelus. Iam quicquid inſtruxerat diuturni ſceleris longa molitio, felici congreſſione Rex conſumpſerat; quíq; vincere potuerat, optabat ignoſcere, & rebellium vitia malebat quàm arma ſuperare: ſed victi ruere in ſanguinem ſuum, & obſtinatæ feritatis pœnam accerſere tanto conſenſu impietatis, tanta contagione ſceleris, tanta deſperatione veniæ, vt, quòd ſalutem infelicium ab ipſis impetrare non poſſet, & deteriores rogati fierent, mitiſſimo principi penè diſpliceret ipſa Victoria. Incenſi erãt ad vlciſcendum animi, quos fortunæ inclinatio reſtinguere ac reſtringere debuiſſet; cum interea grauatè apud animum Ludouici etiàm improbè reſiſtentes perirent. O diſſimilem rationem dimicandi! ô diſpar optimi parentis & contumacium liberorum ingenium!

Ecce princeps incomparabilis tantò in ſuos benignior, quantò eſt fortuna præſtantior, victoriis ſuis iraſcitur per quas Franci occumbunt; & ſuorum amore flagrans, dirigit omnes opes & cogitationes ſuas ad inſigne decus clementiæ; dum toties victi, captíque importuniſſima oſtentatione adumbratæ virtutis ad graues pœnas & acerba iudicia Dominum laceſſunt, ſæuis atque immanibus factis omnes aditus Regiæ miſericordiæ ſibi præcludunt, denique non ſicarij, ſed crudeliſſimi carnifices ciuium eum docent eſſe crudelem, qui non poteſt diſcere. Sed cum tot laceſſitus iniuriis Rex nullomodo poſſet exuere ſenſum humanitatis, qui feras domari fame ſenſimq; mãſuefieri non ignorat, dedit obſeſſis tempus pœnitendi, amplitudine regia conſeruata non abnuit veniam & veluti conditiones pacis, dãnantes ſuum ſcelus & maleficiorum pertæſos bene-

uolè complexus eſt;atque iis qui ſe dediderunt, quos obſidendo ſeruauit, ita omnibus ignouit, vt vita quam deſperauerant reddita, arma tantùm ponere iuſſerit, quò tutiùs Victoris pietate tegerentur; & munitiones diſiecerit,ne rediuiua defectio nouiſſimum excidium prouocaret. O præclarum facinus,quo ſeipſum ſemper inuictũ Rex noſter vicit! in quo quid primùm admirer, Auditores; miſericordiam, qua victis temperauit? Iuſtitiam, qua ſpoliatis amiſſa reſtituit? prouidentiã,per quam culpæ conſcios ad pœnitentiã impunitate reuocauit? omnes virtutes, quarũ ſtipatus choro ſic ingreſſus eſt illa oppida quorum mœnia machinis æneis quaſſauerat, perfregerat, diſſiparat; vt penè maior gratulatio deditorum, quam nuper obſidentium fuerit: vt inter plauſus populorum, & ſecuritaté intuentium matrum ac virginũ,lachrymas gaudio

delibutas nouiſſimę defectionis pudor eliceret. Nunquam profecto curæ eſſe Deo immortali res noſtras feliciore experimento didicimus, quàm cùm diſponente eius prouidentia procuratum fuit, ne eſſet inſolens belli ciuilis victoria: imò vt parati ita pridem ad cædem milites, cuſtodes fierent ad ſalutem. Quæ verò maiora petamus miracula? bellum quod internecinum & inexpiabile credebatur pax necopina diremit: qui cogi armis poterãt, rogati vt ſalui eſſe vellent, viciſſim rogauere vt ignoſceretur ſuæ inſaniæ: Qui in extrema, vt aiunt, tegula ſtabant, non modo nihil timere, ſed & maiora & meliora exſpectare præter ſpem didicerunt: qui contra Regem pugnauere, repudiata cauſſa quam ſecuti erant, caſtigatione perſtricti verborũ, culpã capitis aurium ſola moleſtia luerunt, pręter eos qui iis maleficiis ſunt implicati, vt è legum ac iudiciorum vinculis

emitti non poſſint: In iis oppidis, quę vel externo vel conducto milite tenebantur ad perduellionem corroborandam, præſidia Regia ſunt contra vim & inſidias collocata: Nulla iam pars regni maieſtatis Regiæ potentia caret, etiam cum ea longius videtur abeſſe, frænata prioris ſeculi licentia: Deniq; ciuilis diſſidij rabies extra terminos huius imperij in terras hoſtium & ad gentes illa veſania dignas transferri geſtit, dum Francorũ cõtumaces videt aut boni conſulere, ſi quieſcant: aut lætari, ſi pareant. Nunc, nunc miſeri agricolæ quos inopia & licentia militaris latitare per ſaltus, aut etiam in exilium ire coëgerat, in lucem exeunt, in patriam reuertũtur, deſinunt odiſſe ſuos agros & reſumunt animos operi, pręparant culturam, melioribus annituntur auſpiciis, ſerunt arbores, &, pro ſalute Principis ſolennia vota ſuſcipiunt. Ademptus eſt metus vrbibus,

propter quem portæ armata ſtatione tenebantur,&agebantur excubiæ:atq; omnibus ad tranquillitatẽ regionum & ſecuritatem itinerum ſpectantibus nihil admodum ad votorũ ſummam videtur deeſſe, niſi vt bona noſtra nouerimus;& toti defixi in obſequio fortiſſimi Regis, quo ſtante vel etiam ſedente nullum periculum eſt pertimeſcendum, concordiam, quę eſt fundamentum ac radix otij, bonorũ ciuiliũ theſaurus, quietis publicæ ſeges, & alma altrix pacis non ficte ac ſimulate, ſed cum veritate & conſtantia, ſed ex intimo ſenſu colamus. Quę cum ita ſint, cumq; Rex feliciſſimus id bellum confecerit, quod ei non minus onus Regiæ maieſtatis, quàm inſanientium ærumna perſuaſerat: atque ita confecerit, vt non plus ex eo laudis fortitudini eius dandũ, quàm pietati tribuendum ſit; quòd dum ſceleſtos perſequitur, miſeros liberauit; audio tamen

fre-

fremere nonnullos in dulciſſimum nomen pacis,& infelici omine turbare auſpicia renaſcẽtis otij. Itáne, inquiũt, iſti nos eludent per clementiam Principis, qui in patriæ ruinis ſcelerũ ſuorum faces inflammarunt? Itáne pertinaciæ ſuæ merita non ſentient, quorũ id ingenium eſt, vt niſi faciant iniuriã, ſe inopes & oppreſſos arbitrẽtur? qui ita ſeſe geſſere, vt nihil ſit mali quod nõ nobis voluerint, optauerint, cogitauerint, effecerint! Næ illi ſi pœnas debitas non luant, nobis aliquãdo non debitas infligent. Difficile eſt eiuſmodi orationi reſpondere, cùm præſertim non proficiſcatur ab iis, quos cruor, quos cædes ciuiũ, quos bellum ciuile delectet: quę enim tam fera immaniſque natura, quis prædo tam nefarius, quis pirata tam barbarus, qui patriæ funere lætetur! ſed homines ſuſpicioſi & nimis timidi potiùs quàm parum prudentes metuunt, ne cõſue-

tudine peccandi finis iam audaciæ ſtatui non poſſit:ne parricidarũ effrænatus furor alatur impunitate diuturna; ne deniq; ſub vmbra pacis bellum lateat, & quæſitũ ſit ab hoſte ſpatium ad colligendas vires,quib⁹ fortiùs olim feriat. atque ijdem exciſas radicitus ſyluas cupiunt, è quibus ſeſe toties ad prædam, lupi rapaces effuderunt: atq; ægris oculis ſtare cõſpiciunt officinas rebellionis (ſic enim loquuntur) ac diuerſoria improbitatis & audaciæ. Quò magis veſtra mihi ſapientia opus eſt (Auditores) dum eorum ſuſpiciones propulſare conabor, &, ſi poſſim, obtrudere: quę meum quoq; animum, vt ingenuè fatear, non leuiter pupugere: Nam ſi moram afferri bello, non cauſſam tolli crederem: iuſtam ex ſuperatis victoriã mallẽ, quàm omnibus remanentibus plenis odiorum, dulcedine præſentis pacis perpetuã pacem amitti. Quid etiam miſerius, quàm

timere ſemper à domeſticis hoſtibus; & exſpectare ab aliis, quod ipſe non feceris? quid alienius à rationib⁹ pacis quam ſub inſidioſę conditionis inuolucro bellum fouere, hoc eſt, in ſinu ac in deliciis venenatam & peſtiferam viperã habêre? Ita profectò ſe res habet, vbi in reconciliatione partium aliud obſcurè moliũtur, aliud certi homines ſpe ac ſpecie ſimulationis oſtentant; vt non modò ſine cura quieſcere, ſed nè ſperare quidẽ ſine metu boni poſſint. Sed cùm apud me reputo ſeceſſionem veriùs quã bellum fuiſſe quod Francos nuper cũ Francis in acie cõmiſit; & lõgè plures vel errore humano, qui obiectus eſt ab hominibus per nomẽ religionis imponentibus credulæ plebi; vel fatali calamitate, quę improuidas mentes occupauit, quàm meditata cogitatáq; perfidia deſciuiſſe: poſtquam Rex docuit qui ſenſus eſſet armorum ſuorum, & tantã lenitatẽ ipſius victoriæ victor

adhibuit, vt omnium maleuolorum & iniquorum animos potuerit frangere, tantámque prudentiam, vt in re inueterata nihil conſtituendum putauerit noui: cùm timere deſino, tum illis in quorum animis hæret inanis ſollicitudo, author ſum ſi velint, vt placidè quieſcant, & reddita trãquillitate tanquam afflatu peſtilentis ſideris nolint contabeſcere. Quid enim graue reformidemus, poſtquam aduerſarij deſunt inuicto Principi? Neque enim ille hoſtis vincitur ſolus, inquit ſcriptor Auguſtæ hiſtoriæ, qui cadit in acie pondere oppreſſus armorum & viriũ: ſed multò tutiùs etiam tuba tacente ſub iugum mittitur voluntarius, qui ſentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in ſupplices animos deeſſe. Clara victoria vincẽdo oppugnãtes, non ſæuiendo in afflictos fit: eámque pacem arctiùs tenent, qui victoris miſericordia habuêre, neque

abire ſinunt, quam vix auſi fuerant optare. Cur porrò nouis rebus ſtudeãt, qui hoc fatentur ſeſe peccaſſe quod in exulceratis animis fictum crimen inſederat; qui voces contumelioſas abs iratis & inſanientibus emiſſas execrantur: qui denique ſuis laribus, fortunis, & quod eſt dulcius, innocentiæ reſtituti ideo propagari ſibi vitã cupiunt, vt agendis beneficentiſſimo Regi gratiis valeant ſufficere? Quod ſi diuulſi animi nondum ita coaluerint, atque nonnullæ remaneant vel ſuccreſcant inimicitiæ ex diſſidio religionis; illos ſanè dies leniet ac mitigabit, has Regis authoritas & patriæ charitas extinguet, atque omnino diſſidentes ad amicitiã conſuetudinémque dulcedo pacis traducet. Facite etiam vnos aliquos nunc quoque hoſtili animo eſſe; fieri tamen non poteſt quin Regis beneficiis placentur, ſéque ad Principis optimè de ſe meriti voluntatem, nutúmque con-

uertant. Nam ſi quiſquam eſt qui neminem bona fide putet in gratiam vnquam redire poſſe, non alienam is perfidiam coarguit, ſed indicat ſuam: ac peſſimè decernit de humanitate, ſi non credit futurum ſtabile, quod trabali clauo Pietas fixit. Ego verò diuturnam fore hanc regni reſtitutam valetudinem auguror, quòd non paſſurus ſit cœleſtis ille humani generis conditor leniſſimo Regi mirificum ſeruandæ, fouendæq; ſuæ gentis atque incredibile ſtudium fraudi eſſe: neq; illi quorum ad ſalutem arma direpta ſunt, quíque Regem tam facilem ſupplicantibus, quàm reſiſtentibus vehementem ſenſêre, tam ingrati, tamque immemoris animi futuri ſint; vt cum ſuæ vitæ diſcrimine ei negocium faceſſant, cuius benignitate, cum iam collum, vt ita dixerim, in laqueum inſererent, ad vitæ iucunditatem fuerũt reuocati. Non homines facinoroſi &

crudeles, ſed feræ immanéſq; belluæ: nec morbo ſed ſcelere furentes, atque vt abundantes audacia, ſic à conſilio, ratione metúque diuini numinis derelicti iudicabuntur; ſi qui inundati miſericordia eius Principis, de cuius prolixa beneficáq; natura limandum eſt aliquid; non præoptent vero dolore reſipiſcentium acceptæ veniæ litare, quã deſperatiſſima perfidia bene fundatam per fidos internuncios atq; interpretes pacis tranquillitatẽ regni cõuellere. Quare, ô reconciliati ciues, per cõmunem patriã, per iura francici ſanguinis, per nomen Regium, per candorem liliorum, per deniq; vobis ſanctiſſimos magni Henrici manes vos obteſtor, redite ſine fuco & fallaciis in communionem reliquæ gentis, ne diſcordi ingenio acti ſemper arma aut timeatis, aut minemini: excludite eos, qui ſeditionum licentiam amant, ne periculoſiùs ægrotet regnum veſtra

culpa, quàm ægrotauit ante hunc diẽ; quod nunc primũ incipit è perículoſo morbo recreari. Quantò pax firmata fuiſſet vtiliùs, ante belli principium! quot damnis & mortibus tempeſtiuo obſequio fuiſſet occursũ, ſi voluiſſetis obſequi! Nunc ſaltem, vt piſcatores icti ſapiũt, tot cladibus diſcite & veſtri & Reip. ſeriò miſereri. ſunt qui vos genus indomitum & inquies criminentur, quod in pace bellum, in bello pacem quæritis, cum nec pacẽ diu pati poſſitis nec bellum: ſed velut nauigiũ incertis pulsũ fluctibus, dum & tumor paci obſtat & timor bello, ad popularium Tribunorum plebis flabella nouis ſubinde motibus æſtuetis. Iam iſtorũ orationem fidei conſtantia refellite, & probate vos hæredes eius in patriam pietatis, propter quam parentes veſtri meruerunt olim Magni Regis iudicio probari. Quod ſi me familiariter agere vobiſcum patiamini, ea fortaſſis ex-

pro-

promã audaciùs, quæ ſi minus iucũda fuerint, vos tamẽ niſi ira veluti fumus oculis obſtiterit, non parùm iuuerint ad ſanitatem animorum. In regno viuitis, & quidem in eo regno, quod exordium, progreſſiones, atque hæc incrementa priſcæ religioni debet: ruere antiqua religio non poteſt, quin eodem ſtatim motu labefactatũ regnum concidat: partium autem nec nomen nec patrociniũ locum habere debet in regio dominatu. Quid ſibi igitur factiones volunt aduerſus ſacra, quorum non alia ratione Princeps ipſe vindex, quàm qua Rex eſt! Iam ita perſpicua eſt veritas doctrinæ cœleſtis, vt illam infirmare nulla vis, nulla cuiuſquam calliditas fucare poſſit: quid ergo veritatem patefactam aut contaminamus mẽdacio, aut eijcimus odio, aut premimus non ven:abili ſilentio? Nouimus ſuperiorum bellorum ſemẽ fuiſſe cupiditatem dominandi, vel in-

finitum odium ſuſceptum in eos, quorum fortuna videbatur ſuprà priuatã ſeſe nimis attollere. Cur deinceps alienæ cupiditati potiùs quàm noſtræ fidei ſeruiemus, ſempérq; parebimus hominum pugnandi cupidorum inſaniæ? Qui auidiſſime ſeſe turbis immiſcent, eos certò ſcimus fortuna egentes, vitâ turpes, exiſtimatione damnatos eſſe; Iactent illi ſeſe apud eos, qui nulla in re, nulla in ſpe bona ſunt, regni verò perturbatione temperent, neque per contagionem ſceleris ea vos labe aſpergant, quam nullus amnis poſſit eluere. Qui conditiones æquiſſimas repudiant, non pacem, ſed quid aliud petunt. Quamdiu laudabitur apud vos ea ſapientia quæ nodos amat nectere propter quos nunquam licet tranquillum atq; otioſum ſpiritũ ducere? Omnis rerum noſtrarum ſtatus Ludouici Regis periculo continetur: cur toties nos exanimatis

eo metu, quaſi nauim, quę vos quoq; vehit, perforare malitis, quàm ferre Gubernatoris imperium: eius, inquá, Gubernatoris, qui remigium atque curſum non ex ſua libidine, ſed ex regni tempeſtate moderatur ſapiẽter? Et quoniá Ludouici facta mentio eſt, quem vos aſperum tactu leonem negare non poteſtis; illóne viuo ac ſpirante putatis futurum in Francorum ditione non parẽtium vllum receptatorem vel occultatorem locum! Neque debet pati, ſi poſſit: neque patietur, ſi velit: quod ſi pateretur, non, ſi ea res vobis grata eſſet, etiam eſſet probata, qui regni auiti recordatione ad ſuum Ius vindicandum, aſſerendúmq; maieſtatis decus, ſublimis animi iuuenẽ crebrò ſoletis adhortari. Nam ipſi hanc rationem putate vobiſcum; funeſtum eſt ab hoſte externo opprimi, funeſtius à domeſtico: Indignum à pari vinci, indignius ab inferiore &

humiliore: luctuoſum eſt alteri ſeruire, luctuoſius ſuis: horribile eſt ſeſe dedere hoſti, horribilius immaniſſimo perduelli. Quare mittite illas ineptias, quib⁹ præfiditis: &, date vos Iuſto Regi, complectetur vos, mihi credite: adhærete lateri Principis non timoris obſequio, ſed voto pietatis: iuxta vos habebit cum iis, qui fidem per hæc bella incorruptam præſtitere. Meminiſtis vt bonos iam ornauerit, quietos conſeruarit, improbos beneficiis delenierit, vt denique nihil reliqui fecerit, quò vel inuitos ab exitio retraheret. Aliam rationem alia tempora poſtulabunt: qui clementiam noluerint, eius ſeueritatem certa pernicie experientur; ac tum fruſtra confugient ad aram miſericordiæ, qui eam noua defectione ſubuerterint. Nam quanta alacritate regni proceres vitam & fortunas ſuas in communionem regij periculi, & nouiſſimorum temporum

contulerunt, tanta in perduelles, ſi qui forte extiterint, ad delendam huius ſeculi maculam omnes, omnes incumbent. Neque verò vos ſinite circunueniri ab illis, qui cùm faces extortas de ſeditioſorum manibus & ereptos gladios doleant, ſalutem veſtram quæ ſpe exigua ſupremáque & filo, quod dici ſolet, pependit, conijcere rurſus in periculum ſatagunt: quorum, quam erat benigna oratio, tam ad rem emortuum fuiſſe auxiliũ inficiari profectò non poteſtis. Quæritis, Auditores, quos eo ſermone perſtringam? equidẽ neſcio: vellem ipſi ſeſe prodidiſſent, curauiſſem, quoad eius fieri potuiſſet, vt mox tanquam ſorices ſuo indicio perirent. Verum dum hæc meditarer incidit in manus meas tabella Latinis exarata literis, quæ, ô puniẽdam tenebrionis audaciam! Regi Gallorum inſidias à miluo, à leone contemptum, ab aquila periculum per ambages de-

nunciat: de alarum ſtrepitu, déq; garrulo cantu, quo alij excitantur ad opus infertur etiam neſcio quid, vnde quo ex fonte turbidus iſte riuulus accerſitus fuerit, non eſt difficile conijcere. Mihi ad omnia reſpondendi neque animus, neq; conſiliũ eſt, præſertim ad finem orationis properanti: tantũ hoc dico, quo clangor anſeris illius, vel potius gannitus refuteturvulpeculæ: non promptiorem eſſe Gallorum Regem ad pugnandum, quam ad cauendum. Mî homo, oculorum acie viget: & dum altero elato miluum rapaciſſimam auiũ obſeruat, ne ex improuiſo pullos è corte rapiat, altero diligentiſſime minuta quæque in locis etiam parum lucidis diſquirit. Iam heri, aut nudiuſtertius factum eſt, quod leo ad eius cantumvel occurſum non expaueſcat, namque hoc ſcit præter te nemo: ſed vt tuum leonem noua acceſſio virium ferociorem faciat, vel, quòd imperium

habeat in vos belluas, Regem ille Gallorum non feret cùm is criſtam, ſpectatiſſimum inſigne, etiam atq; etiam erigens, Martis pullus, & delicium Herculis, ſeſe victor honeſtè in digitos ſuſtulerit, primoréſq; vngueis erexerit, vt Lucilij verbis vtar. Neq; verò aquila cum Gallorũ Rege inimicitias exercet; ſed, quum aquilam nominaſti a, quilæ fœtus adulterinos vel degeneres voluiſti dicere; quos ſi vel tantillum ſe cõmouentes volucrum generoſiſſima! ſed reprimo me, nondum enim proferendũ, vnde tua tuorúmq; gregalium temeritas coërcenda veniat. Quod ſi dum alas verberat, tot ferarum luſtra atque latibula diſiecit, tot fugauit beſtias: quid efficiet Rex noſter Gallorum cum integras ſolidáſque vires, totius corporis vigorẽ, regium ardorem oculorum, roſtrum & ſpicula in aues inimicas conuertet? Hæc ſibi iſte nugator habeat, qui ſub nullo nomine

deliteſcit. Nunc ad te Pater patriæ & ad tuum beneficiũ,Optime Ludouice, reuertor. Magnus mihi ſæpe antea viſus es, cùm ætatis curſum virtute præuectus ea geſſiſti, quæ vix fidem inueniunt etiam apud eos, qui ſunt participes tuæ gloriæ: ſed hoc modò teipſo maior exiſtis, quòd animum potuiſti vincere: quòd non ex fortuna ſed ex virtute ſemper pendens, ac non magis fortitudine, quàm innocentia, quę eſt cuſtos fidiſſima Principis, vbiq; ſecurus, non ſolum ingentis mali molem à noſtris ceruicibus depuliſti: ſed etiam cùm præcipitantes rebelles impellere, & perditos proſternere facilè poſſes, atque digna eſſet hac gloria tua pietas, quam præſtabat felicitas, honori tuo velificari ſeuera ratione, ſi quoſdam regni neruos incideres, noluiſti. Communis vtilitatis rationem habere maluiſti, quàm doloris tui: & cùm bellum eſſe buſtum legum atque

reli-

religionis, ruinam morum, atque ipſius humanitatis interitum intelligeres pro tua ſapientia: neque tamen pro magnitudine animi vllum amplectendum otium putares, quod abhorreret à dignitate; inueniſti viam, qua per haſtam & clypeum paci morem imponeres, vt ad innumerabilia tua in nos merita maximus hoc facto cumulus accederet. Pugnauiſti coactus: meruiſti victoriam, quam non deſiderabas, vt per experimenta miſericordiæ peruenires ad laudē ſummæ clementiæ. Alia coram, Rex triumphator, ex me audies, cùm te reducem arctiſſimo & iucundiſſimo amplexu tua Lutetia Pariſiorum excipiet, quam aduentu tuo redditurus es feliciorem; quæ, quamdiu præſentia tua non fruitur, vel nigrum ſibi ſolem putat ſurgere vel nullum. Nam cum tecta ipſa commouebuntur, & altitudo culminum conabitur ſeſe attollere, qua-

F

cúnque Maieſtatem tuam tardo molimine equus inuehet; cum te populi denſitas, & ſtipatio laudantium, atque gratulantium prouehet ſimul & attinebit: agmini propinquantium Profeſſor ſe tuus inſeret, vt nuncupatum olim (cùm te proficiſcentem ad arma neceſſaria, palmámque gerentem illo ipſo die, quo triumphalem ingreſſum in vrbem Iudæorũ ſoſpitatoris noſtri Chriſtianorum ciuitas recolit, læto omine proſequeretur) lubens ac meritò votum exoluat: qui intereà rectam indolem adoleſcentulorum, & lectiſſimæ iuuentutis, quod eſt ſeminarium bonorum ciuium, cùm ſalutaribus monitis, tùm omni genere humanitatis ad Regiæ Maieſtatis fidelem cultum limabit & perpoliet.

DIXI.